

cinia et publica facinora in vincula coniectus et suspendio damnatus sit. Erat etiam tum prorsus imberbis, pendenti vero jam atque exanimi subito prorumpit barba, spectante populo, comæ capitis plane canescunt, ut ætatem referret hominis nonagenarii. Miraculo rei accitus cum populo et toto clero accurrit episcopus: omnes in genua prostrati expectant dum ostendat Deus, quid sibi monstrum hoc velit; atque ecce tibi, episcopus editiorem locum capiens ad omnes ait, voluisse Deum ostendere, quantum de vitiis detrahat, qui de parentum obedientia detraxerunt: victurum enim hunc juvenem fuisse ad eam ætatem quæ jam apparebat in facie, nisi ipsos septuaginta annos parentum inobedientia detraxisset. » Sic ille. Quod si hoc præmium morigeris non semper contingit, certum tamen quod alia ratione compensetur.

Qui Ecclesiasticum, cap. III. leget, plura inveniet præmia morigeris filiis promissa, uti filios gratos et obediens: *Qui honorat patrem suum, inquit, jucundabitur in filiis, et in die orationis suæ exaudietur, etc.* Deinde famam bonam, ibidem: *Gloria enim hominis ex honore patris sui.* Et iterum: *Quam malæ famæ est qui derelinquit patrem?* Ad hæc divitias: *Sicut qui thesaurizat, ait ibidem, ita qui honorificat matrem suam.* Et iterum: *Benedictio patris firmat domos filiorum.* Denique, benedictionem Dei, seu gratiam in præsentem et gloriam in futuro: *Honora patrem tuum, ut superveniat tibi benedictio a Deo.*

IV. Quarta rota, pœna imminens iis, qui parentes non honorant. Ea vero multiplex est. Primo, certo sibi persuadeant filii, se eadem recepturos aliquando a sua sobole, quæ genitoribus suis fecerint, ut per ea puniantur, per quæ in eos peccaverunt. Solet enim Deus facere aut permittere ut idem sentiant impii, quod perpetrarunt; ut sic aut emendentur, aut saltem intelligant pro meritis se puniri: juxta id Luc. VI. *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Annon audistis aliquando scenam illam, quam refert Aristot. V. et hic apud Lycost. in apophth. de educatione liberorum, in qua filius patrem cum traheret capillis, ut ejectum extra fores, per scalas dejiceret: pater cum ad januas perventum esset: *Desine fili, inquit, nam et ego patrem non ulterius, quam huc usque traxi.* Alius accusatus, eodem auctore, quod patrem pulsasset, ita defendit impium facinus. *Et ille, ait, patrem suum verberavit et hic (ostenso filio) me verberabit postquam adoleverit, adeo nobis hoc gentilitium est.* Unde Pittacus Mitylænæus dicere solebat: *Qualia tu contuleris in parentes, talia prorsus a tuis liberis expecta, ut bene vel male habearis.*

Secundo, quia naturalem et benignum patrem non coluerunt filii, sæpe alium nanciscuntur crudelem, dæmonem vel carnificem, qui eos virga ferrea plectit. Sane Deut. XXI. filius protervus et contumax jubetur lapidari ab universo populo. Et Salomon, Prov. XXX. ait: *Oculum qui subsannat patrem, effodiant eum corvi.* Exemplo sit Absalon, cui similem en alterum. Anno 874. Carolus Ludovici Germaniæ regis filius adjuncto sibi fratre suo Ludovico tentavit contra parentem rebellionem facere, et certe maximas ei creaturus erat molestias, nisi molitiones ejus disturbassent auctoritate sua regni proceres. Interim non neglexit Deus tantam punire audaciam: in medio consessu diætæ Francofurtensis invasit illum diabolus, ita ut vociferando horrendum in modum, perstrependo, faciem vestesque lacerando, se totum exagitando, ut retineri a viris sex fortissimis minime posset, raperit adstantes omnes in admirationem, sed præcipue parentem tristissimum, qui conversus ad Ludovicum: « Ecce, inquit, ut Deus in fratre tuo vestras punit rebelliones et in me conjurationes! Sapite in posterum miseri, et Dei clementiam implorate. Quod ad me, ignosco vobis lubens. » Postea autem ductus est Carolus in summum templum, ubi a Luitberto Moguntino archiepiscopo abactus est dæmon exorcismis ecclesiasticis et virtute præsentis Christi in s. eucharistiæ sacramento. Liberatus autem factus est a se totus alius, dicere et fateri solitus, se nec per horæ quadrantem potitum fuisse pace cordis a rebellionis exordio, Aventinus, l. IV. anal. Boiorum.

Tertio, timere debent maledictionem parentum, de qua scriptum est Eccl. III. *Benedictio patris firmat domos filiorum; maledictio autem matris eradicat fundamenta.* Visne exempla? In vita S. Zenobii Florentini refertur in eadem mulierem paganam illustrem et prædivitem duos habuisse filios, quos delicatissime enutrierat, qui die quodam in iram versi, matrem propriam verberibus mulctarunt: unde ipsa genibus procumbens et terram manibus pulsans furias infernales in rabiem filiorum invocat. Adfuere illico dæmones et juvenes aggrediuntur, atque in furias agitant. Qui mox ut rabidi canes mordicus sua corrodunt membra, concurrunt famuli, fit clamor et juvenes ligantur funibus ac catenis, nec tamen contineri possunt. Mulier itaque sortem filiorum videns et facti pœnitens ad S. Zenobium pro remedio accurrit: cujus precibus filiis salutem impetravit et una cum illis fidem et baptismum percepit. Visne aliud? Refert S. Augustinus, l. XXII. de civit. Dei, c. VIII.

matrem quamdam in Cappadociæ Cæsarea de- cem habuisse filios, quorum natu major gravibus eam affecerat injuriis, cæteris hoc videntibus et ferentibus. Unde ipsa exandescens ad templum cucurrit et suasu ejusdem, qui dæmon creditus est, in via occurrens, omnibus maledixit et imprecata est ut extorres patria circumirent alienas terras ad terrorem aliorum. Dictum, factum: tremor membrorum eos mox invasit, ipsique in diversa dispersi, omnibus horribile spectaculum præbuerunt. Quorum unum Paulum nomine, ad reliquias S. Stephani sanatum se vidisse scribit Augustinus.

Superest nunc, ut conscensa hac quadriga sequantur liberi Christum ad deferendum suis parentibus debitum honorem. Hic enim erit currus quidam igneus, quo non modo ad felicitatem terrenam, sed etiam ad cœlestem eveniunt.

## CONCIO IV.

## INCITAMENTA AD PROGEDIENDUM IN VIRTUTIBUS.

I. Quia ad perfectionem tendimus. — II. Quia in schola Christi sumus. — III. Quia si non proficimus, deficiamus. — IV. Quia virtus finem nescit. — V. Quia mundus vanitatibus nunquam satiatur. — VI. Quia Christus profecit.

## THEMA.

*Jesus proficiebat sapientia, et ætate, et gratia apud Deum et homines.* Luc. II.

Magnum absque dubio gaudium percepit Abraham, cum e vctula et sterili uxore natus est ei filius a Deo promissus. Sed multo magis gavisum esse constat, cum ablactatus est ejus filius, quam cum natus; siquidem ut habetur, Gen. XXI. in die ablactationis ejus fecit grande convivium. In quo, ut aiunt ibi August. et Ambrosius: « Intelligitur profectus mentis, quia idoneus factus est Isaac fortioris gratiæ cibo et virtutis alimento, non adhuc ut Corinthii lacte potandus, sed epulis solidioribus, etc. » Non instruxit convivium Abraham in die nativitatibus aut circumcisionis filii, quia tunc incertum adhuc erat, essetne vitalis futurus filius: at in die ablactationis: quia tunc filius jam incipiebat per se vivere et solidioribus assuescere cibis, ideoque spem præbere vitæ duraturæ. Ego, auditores, ut rem dicam, non parum etiam gavisus sum, cum proxime elapsis festivitatibus vidi quam plurimos vestrum spiritualiter in Christo natos per exomologesin, et sacramentalem communionem. Sed non possum tamen idcirco sta-

tim instituere convivium, publicamque agere lætitiã, donec adveniat dies ablactationis, hoc est, donec videam eos qui spiritualiter in Christo nati sunt, de uberibus pristinæ conversationis abstractos, solidioribus assuescere virtutum cibis, et de die in diem proficere in virtutis proposito. Quid enim si quidam in Christo renati sunt, qui hodie vel cras iterum moriuntur? At si progredi incipiant in cœpto pietatis itinere et lacte vitiorum spreto, honorum operum cibis quotidie assuescant magis, ibi tum agere convenit solemnem festivitatem, et tunc in cœlo gaudium erit angelis. Propterea S. Lucæ non erat satis descripsisse nativitatem Christi, circumcisionem et oblationem, sed subdidit etiam ejus profectum solemni testimonio: *Puer autem crescebat, inquit, et confortabatur plenus sapientia, et gratia Dei erat in illo.* Et paulo post in hod. evang. *Jesus autem proficiebat sapientia, et ætate, et gratia apud Deum et homines.* Exemplum itaque præbuit nobis Christus, ut una cum ipso crescamus et proficiamus, qui eidem et cum eodem nuper nati sumus. Quare etsi de nullius conatu dubitamus, progredientibus tamen calcaria addemus et rationem progrediendi indicabimus.

I. Proficiendum primo, quia omnes tenentur ad perfectionem tendere, ad perfectionem, inquam, Christiano necessariam, ut scilicet omnia præcepta servet: siquidem Christus dixit: *Estote perfecti sicut et Pater vester cœlestis perfectus est,* Mat. V. Ad hoc etiam admonet nos natura, quæ ab imperfecto incipit et paulatim magis ac magis crescit, quousque ad perfectionem veniat. Sic mineralia in terra ex venis subtilioribus gignuntur et paulatim perficiuntur: sic frutices omnes primo tenelli et rudes sensim augentur et folia gignunt, deinde flores, postremo fructus, quos initio teneros et exiguos atque inutiles sol paulatim perficit et ad maturitatem perducit. Palma singulis mensibus singulos ramos adjicit; unde olim menses in ejus ramis numerabantur, teste Pierio, l. L. hierogl. Idem patet in animalibus, quæ non corporis tantum mole crescunt, sed aliis etiam dotibus. Cervus singulis annis ramum unum cornu suo adjicit, unde dignoscitur ejus ætas, apud Pierium, l. VII. hierogl. Cycnus quo provecior fit ætate, tanto suavior canit et suavissime tandem in morte, idem, l. XXIII. Denique, ipse homo primo nascitur infans, non loquitur, non intelligit, non comedit sed lacte tantum alitur, non ambulat, non ratiocinatur: licet ad hæc omnia remotam habeat potentiam, cum ætate tamen paulatim acquirit ista. Docet ergo tota natura, semper ad perfectionem adnendum esse. Cum autem homo factus sit ut Dei

imaginem in se perficiat virtutibus et gratia, quo dignus fiat perpetuo ejus aspectu et hæreditate, hinc apparet quanta homini necessitas incumbat crescendi semper in bono. Si enim omnia quæ Deus illi subjecit, crescunt semper et augentur, uti et ipsum ejus corpus: annon turpe erit, si solus ipse non crescat et pusio secundum animam remaneat? Contemnitur inter homines pumilio, etiam a propriis servis, licet vitio careat, cum non sit in hominis potestate adjicere ad staturam suam vel cubitum unum. Rectius is spernendus videtur, qui statura crescens, intellectu non crescit. Sed nec hoc valde culpandum, quia intelligendi et discendi facultas non est semper in hominis potestate, nec ita a Deo requiritur, ut virtus; sine doctrina enim admitti in cælum possumus, sine virtute non possumus. Maxime igitur vilis et contemnendus est, qui non crescit in virtute, bonitate et justitia. Hoc enim in hominis potestate est et requiritur ab eo. In Belgio viri proceri et grandævi puerilium tamen morum, per ignominiam vocantur pueri Hollandici, eo quod matres in Hollandia præ aliis matribus mire filios suos etiam grandævos amant, adeoque ut pueros tractant, ut testatur Cornelius a Lapide, in Isai. c. LXV. Longe major ignominia est, si in Ecclesia reperiantur tales pueri Hollandici, et barbari qui animo non crescunt.

II. Quia sumus in schola Christi, quamdiu vivimus. Profectus autem discipulorum gloria est magistri, si pene omnes discipuli sint perfecti, si ascensu et præmiis digni: sicut e contra ignavia discipulorum ignominia illius. Ita S. Bernardus, epist. CCCXLI. « Discipulus proficiens, inquit, gloria est magistri. Quisquis in schola Christi non proficit, ejus indignus est magisterio. » Docuit autem nos Christus exemplo suo ut proficeremus. Unde ibidem subdit Bernardus: « Itaque qui se dicit in Christo manere, debet, sicut ille ambulavit, et ipse ambulare, Jesus enim (ut ait evangelista) crescebat et proficiebat sapientia et ætate et gratia apud Deum et homines. Ille non restitit ergo, sed exultavit ut gigas ad currendam viam, et nos quoque si non desipimus curremus post eum. » Sic Bernardus. Quoniam igitur præstantissimum habemus magistrum exemplo suo nobis præeuntem, annon turpe est nobis, si sub tanto magistro non proficiamus, sed semper simus Joannes (ut vulgo dicimus) in eodem? Annon Christo etiam magistro nostro, dedecori quodammodo sumus, si gentiles, Judæi et hæretici non videant nos proficere in ipsius schola? Propterea sicut qui diu in eadem classe desidens non proficit, tandem cum ignominia ejicitur, et

a parentibus ad servile aliquod opificium applicatur. Sic etiam qui in schola Christi progressum in virtute non facit, Deo exosus est, et vel celeriore morte extinguitur, vel in hæresin, aliave graviora vitia labi permittitur. Quod de Christi Ecclesia prophetavit Isai. c. LXV. dicens: *Non erit ibi amplius infans Æterum, et senex qui non impleat dies suos, quoniam puer centum annorum morietur*, hoc est, ut exponit et ait Philo, l. II. melis. c. XVIII. *Qui multum ævi in vita corporis sine ulla virtute vixerint ac probitate*. Vult ergo dicere propheta, non debere esse tales pueros in Ecclesia et schola Christi, alioqui morituros, id est exterminandos esse. Et certe hanc ejectionem minabatur Christus per Joannem, Apoc. III. episcopo Laodiceæ, cum dixit: *Utinam frigidus esset aut calidus, sed quia tepidus es, incipiam te vomere*. Frigidum intelligit secundum S. Amb. in Ps. CXVIII. infidelem, qui ob ignorantiam, habet excusationem aliquam. Tepidum vero Christianum malum, qui nunquam incalescit in virtute. Cujusmodi erant Christiani tempore Lutheri, illi inquam, quos vomuit Deus, cum de Ecclesia in hæresin eos labi permisit, et e libro vitæ delet.

III. Quia non proficit, deficit, teste D. Leone p. serm. VIII. de passione, D. August. serm. XV. de verbis Domini, D. Bern. epist. CCCXLI. D. Gregor. III. p. pastor. c. XXXV. qui id similitudine declarat. « In hoc quippe mundo, inquit, humana anima quasi more navis contra ictum fluminis condescendens, uno in loco nequaquam stare permittitur; quia ad ima relabitur, nisi ad summa conetur. » Et S. Bern. ep. XCI. ad abbatem, ait: « Vidit Jacob in scala angelos ascendentes, numquid instantem quempiam sive sedentem? Non est stare omnino in pendulo fragilis scalæ, neque in incerto hujus mortalis vitæ quidquam in eodem statu permanet. Non habemus hic manentem civitatem, nec futuram possidemus, sed inquirimus. Aut ascendas ergo necesse est aut descendas. Si attentas stare, ruas necesse est. Minime pro certo, est bonus, qui melior esse non vult; et ubi incipis nolle fieri melior, ibi tum desinis esse bonus. » Sic Bernardus. Ratio est, quia hominis natura per originalis peccati labem ad rigus peccati inclinata est, unde si per negligentiam torpeat, facile ad id relabitur: sicut fornax fictilis aut ferrea, quia de elemento frigido est, nisi perpetuo calefiat cito refrigescit. Eandem causam indicat apost. ad Hebr. II. dicens: *Abundantius oportet observare nos ea quæ audivimus, ne forte perefluamus*. Quibus verbis docet hominem similem factum vasi aut vitro fracto, e quo vinum paulatim per ri-

nam effluit, si diutius stare permittatur et non subinde repleatur. Item S. Gregor. ut supra dixi. In hoc enim mundi flumine semper deorsum rapimur, vel a propria carne et concupiscentia ejus; nisi perpetuo remigemus contra fluvium. Unde Eccles. IX. dicitur: *Quodcumque potest manus, instanter operare*.

IV. Quia vera virtus finem nescit nec unquam dicit: Sufficit. « Quemadmodum in pecuniis, (ait D. Chrys. orat. IV. adversus Judæos) qui duos lucratus est aureos proclivis est ad decem et ad viginti colligendos congregandosque. Sic usu venit in virtute, qui fecerit bonum opus, officiumque præstiterit, stimulationem aliquam aut exhortationem ad agendum sumit, ut alia quoque benefacta aggrediatur. » Sic ille. Ac sicuti divites qui valde amant pecunias, magis conqueruntur de inopia, quam pauperes: sic virtutis amatores. « Nunquam justus arbitratur se comprehendisse, (ait S. Bern. in ep. CCXLIII. ad abbatem Garinum) nunquam dicit satis est; sed semper esurit sititque justitiam, ita ut si semper viveret, semper quantum in se est, justior esse contenderet, semper de bono in melius proficere totis viribus conaretur. Non enim ad annum vel ad tempus instar mercenarii, sed in æternum divino se mancipat famulatui. Sic Bernardus.

Dicuntur quereus centum annis crescere, totidem in perfecto statu vigere, sed tertio centenariio consensescere atque interire. Justorum vero vita tamquam lux splendet crescitque usque ad perfectum diem: illum, inquam, qui occasum nescit. Propterea Dav. Ps. LXXVI. *Dixi: Nunc capiam*, inquit, quasi prius nihil adhuc boni fecisset. Et apost. ad Phil. III. *Ego me non arbitror comprehendisse: meipsum autem extendens ad anteriora, etc.* Barlaam ad Josaphat dicebat: *Cogita quotidie te hodie capisse servire Deo, te hodie finitum*. Arsenius dicebat: *Da, Domine, ut, vel nunc incipiam pie vivere*. S. Franciscus sub ipsam mortem: *Fratres, aiebat, usque nunc parum profecimus, incipiamus nunc servire Deo, redeamus ad humilitatis et novitatis primordia*. S. Anton. *Hodie vos religiosum institutum arripuisse arbitramini*. Nemo unus sanctorum fuit, qui sentiret se jam pervenisse ad perfectionem, et diceret: *Requiesce anima mea, habes multa bona opera, etc.* Mimirum sicut Jacob pro pulcherrima Rachele servivit annis septem, nihil quantumvis vilium officiorum detrectans, et videbantur illi dies pauci præ amoris magnitudine, Gen. XXIX. sic justus quia ad gloriam toti anhelat, exiguum et nihil esse putant, quidquid agunt pro cælesti gloria, dicuntque: *Servi inutiles sumus, fecimus*

I.

quod debuimus. Ideoque etiam metuunt semper ne insufficientes sit, quidquid agunt, pro cælesti denario. Gaudebunt autem summopere in illa die tempore hoc utiliter transacto et majori lucro, quam sperabant, reportato.

V. Quia videmus vanitatum sectatores nunquam satiari siliquis porcorum, quas desiderant, sed semper esurire et ventrem implere cupere; quanto ergo majori studio quærendus nobis panis virtutum? Unde S. Bern. ep. CCCXLI. ait: « Moneat nos ipsum quoque sæcularis cupiditatis exemplum. Quem enim ambitiosum videmus aliquando contentum adeptis dignitatibus, et ad alias non anhelare? Sic et curiosi ejusdem non satiatur oculus visu nec auris impletur auditu. Quid eorum, qui avaritiæ serviunt, aut amatores sunt voluntatum, seu vanas hominum sectantur laudes? Nonne et ipsorum insatiabilia desideria arguunt nos negligentiam et tepiditatem? Pudeat certe spiritualium nos honorum minus cupidos inveniri. Sane mercator nunquam interquiescit, nec ullam lucri præteriti rationem habet, sed futuris parandisque lucris ita semper inhiat ac si nihil reposuisset: nullam lucrandi occasionem omittit, currit de nundinis in nundinas, etc. Eecur igitur nos non æque, imo magis inhiamus lucris spiritualibus? Deplorat hanc nostram societatem idem S. Bern. serm. I. de alt. et bass. cordis, his verbis: « Magna confusio hæc, magna valde, quod ardentius illi perniciosam pereuntiamque desiderant, quam nos utilia; citius illi ad mortem properant quam nos ad vitam. »

Nobile exemplum suppeditat nobis historia ecclesiastica de abbate Pambone, qui obiens aliquando urbem Alexandrinam, obviam habuit profligatam vitam feminam, quam cum contempleretur cominus, stibio, cerussa, fucisque meretricis mirifice exornatam, flere cepit, ac intime suspirare. Rogatus ab alumnis suis fletus causam: « Eheu, inquit, miserum me ac infelicem! Non vultis amarissime plorem, qui videam mulierem hanc plus operæ impendere curæque ut hominibus placeat, quam me, ut Deo meo? Video certe sollicitius istam cæcos mortales in perniciem trahere, massamque diaboli, quam me in suavissimum rete Salvatoris. » Et de eximio illo ac vere apostolico viro Francisco Xaverio scimus ipsum indoluisse, erubuisseque plurimum, quod anteverterint eum negotiatores in novo orbe penetrando ad suas inibi merces transitorias distraendas, quam ipse gentibus illis lucem evangelicam inferret. Vehementer ergo confundamur et nos, quod filii hujus sæculi prudentiores sint filiis lucis in generatione sua.

VI. Denique incitare nos deberet exemplum,

17

de quo ait S. Bern. epist. CCLIII. « Ipse hominis sæculique auctor, quamdiu in terris visus et cum hominibus conversatus est, numquid stetit? Et quidem, teste Scriptura, pertransiit beneficiendo et sanando omnes. » Et mox: « Ibi tu Christiane, fige tui cursus, profectusque metam, ubi Christus posuit suam; factus est, inquit, obediens usque ad mortem. Quantumlibet ergo eucurreris, si ad mortem non perveneris, bravium non apprehendes. » Itaque non in pueritia tantum, sed in tota etiam vita Christus profecit, semper magis et magis heroica designando opera. Quod ergo Carolus V. victoriosissimus et laudatissimus imperator, fortunæ et victoriarum suarum symbolum gessit: *Plus ultra*, hoc sanè infinites magis Christo tribuendum. Quisquis ergo sub hoc militare ejusque symbolo vult gaudere, plus ultra semper conetur, donec ad ipsum perveniat, etc.

## CONCIO V.

QUA IN RE ET QUIBUS MODIS PROFICERE CHRISTIANUS DEBEAT.

I. Sapientia: 1. In cognitione Dei. 2. In cognitione sui. 3. In cognitione rerum ad salutem pertinentium. 4. In rebus ad statum ejusque pertinentibus. — II. Ætate, id est, morum honestate: 1. Quotidie inchoare puta. 2. Cogita Deum omnipresentem. 3. Dirige opera tua ad Deum. — III. Gratia: 1. Removendo quæ Deum offendunt, etiam parva. 2. Examinando crebro conscientiam. 3. Exercoendo te in mortificationibus et virtutibus.

## THEMA.

*Jesus proficiebat sapientia, et ætate, et gratia apud Deum et homines. Luc. II.*

Jacob patriarcha duos inter cæteros habuit filios, Ruben primogenitum, et Joseph penultimum: hunc bonum et morigerum, illum vero reprobum; quibus proinde moriens benedictionem impertit admodum dissimilem. Ad Ruben dixit: *Non crescas, quia ascendisti cubile patris tui*, absolutique ab eo jus primogenituræ. Ad Joseph vero: *Filius accrescens Joseph, filius accrescens et decorus aspectu*, Gen. cap. XLIX. deditque ei partem unam extra fratres suos, Gen. XLIX. Quid sibi, auditores, volunt isti duo fratres? Prior eos significat, qui Christi quidem filii sunt, non crescunt tamen virtutibus: ideoque merentur privari jure hæreditatis suæ. Posterior vero eos, qui crescunt et proficiunt, ideoque promerentur eumulari bonis cælestibus. Rubeni similis fuit

Lucifer, qui quoniam super astra conscendere et similis esse Altissimo voluit, ita a Deo dejectus est in orbem, ut in omnem æternitatem non posset amplius crescere seu proficere ad bonum. Josephus Christi typus fuit, qui ut audivimus in hodierno evangelio, *proficiebat sapientia, et ætate, et gratia*, adeoque verissime filius accrescens fuit. Iste in terris scholam erexit proficientium ad bonum; ille scholam apud inferos nunquam proficientium. Quæro nunc et interrogo, auditores: Ad quam scholam admitti vultis vos? Utique ad scholam Christi, ubi crescatis et proficiatis. Verum si huc tenditis, scire imprimis debetis, qua potissimum in re proficere debeatis. Sunt autem hæc.

I. Proficiendum sapientia; si enim cervus singulis annis ramum cornu suo adjicit, teste Plerio, l. II. hierogl. ex quo ejus ætas colligitur, decet utique ut etiam præsertim Christianus singulis annis aliquid sapientiæ et cerebri capiti suo addat: et primo, proficiat in cognitione Dei et rerum divinarum, de qua notitia velut omnium præstantissima ait Dominus, Jerem. c. IX. *In hoc gloriatur qui gloriatur, scire et nosse me*. Pulchre de hoc cecinit quidam: *Si Christum discis, satis est si cætera nescis; si Christum nescis, nihil est si cætera discis*. Secundo, in cognitione sui ipsius; quid non turpius esse potest magisque culpandum, quam alia plurima scire et seipsum non agnoscere, præsertim adulta ætate, post tot experimenta? Et tamen quam multi jam sunt maturi, qui in confessione nequeunt explicare peccata sua: unde hoc, nisi quia seipsum non noverunt? Quemadmodum ergo, qui non curat ea, quæ domi suæ sunt, num domus sit ruinosâ, num uxor et familia fidelis, etc. necessario perire et ad stipem redigi debet; sic qui non attendit ad domum conscientiæ suæ. Tertio, in cognitione rerum ad salutem pertinentium, quas scilicet credere nos oportet, facere aut fugere. Si enim duces militum tanto studio indagant modos varios et rationes expugnandi civitates, annon pluris interest scire nos modos et rationes expugnandi cælum, et quæ ad istud necessaria sunt? Et tamen in scientiis aliis profanis plurimi sunt, qui se perficere student maximo conatu; hanc vero scientiam scientiarum plerique negligunt: tanta enim multorum est ignorantia, ut bonum a malo, peccata a rebus licitis, et ipsa a se mutuo, gravia a levibus, denique artes diabolicas a bonis et licitis nequeant discernere. Inde vanissimas superstitiones alunt, et miros ac supernaturales effectus tribuuntur rebus, quæ neque ad eos vim ex se habent, neque per s. Scripturam, aut Ecclesiæ definitionem,

aut approbatam ab ea traditionem, sibi attributam efficaciam. Quarto, in rebus ad ejusque statum et munus pertinentibus. Quis est enim artifex, qui se in sua arte non perficiat temporis progressu? Sic igitur in suo munere sacerdos, in suo paterfamilias, in suo magistratus, etc. studeat semper crescere et fieri peritior, ne aliquin incidant in illam increpationem, qua Christus, Math. XV. redarguit discipulos: *Adhuc et vos sine intellectu estis*.

Sed nunc, qua ratione proficere in his possumus? Primo, audiendo assidue verbum Dei, Exod. c. XXXVIII. fecit Moyses labrum æneum de speculis mulierum ad ostium tabernaculi, ut ingredienti in eo contueri se et maculas tergere possent. Quid hoc in Ecclesia, nisi verbum Dei? Hoc enim velut speculum ostendit unicuique non solum, quæ ad Dei cognitionem, sed etiam quæ ad sui ipsius propriam et rerum suarum pertinent. Proinde qui id audiunt mox ubi aliquos in se deprehenderunt nævos, illico se corrigant, dicendo: Deus mihi ignoscat, impegit aliquoties in hunc lapidem, dabo operam, ne recidam, etc. Gement a se neglectum esse, quod audiant faciendum fuisse; et sic erit tibi concio velut speculum mulieris. Quibusdam enim est velut speculum viri tantum, de quibus ait S. Jacobus, c. I. *Si quis auditor est verbi et non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum natiuitatis suæ in speculo; consideravit enim se et abiit et statim oblitus est qualis fuerit*. Vir enim speculum inspicit ex curiositate, num canos habeat, num vultu nigro, vel rugoso sit, etc. mulier vero ut se mundet, tegat, ornet. Mulieres hæc in re decet nos imitari, ut nimirum efficaciter et assidue, quoties scilicet ad concionem pergimus, in ea nos contemplerur, sic brevi proficiemus. Secundo, legendo libros pios, ut in primis vitam Christi seu quatuor evangelistas, deinde res gestas sanctorum. S. Chrysanthus a profanis libris ad evangelicos digressus dicebat se de tenebris ad lucem transiisse et invenisse verum thesaurum, indeque adeo profecit, ut martyr factus sit, ut in ejus vita, apud Surium 23. octobris. S. Cæcilia evangelium assidue gerebat in pectore, et nec noctibus nec diebus cessabat a colloquiis divinis, ut in ejus vita. S. Bonifacius jugiter s. evangelii codicem secum deferebat, adeo ut eum nec in martyrio deseruerit; quin vero cum anno Domini 753. in ejus caput Frisii ensem vibrarent, ipse hunc codicem quasi spiritualem clypeum objecit, et illustri miraculo, licet ense acuto per medium sectus sit liber, nulla tamen littera ea sectione abolita est, ut in vita. Tertio, consulendo viros doctos et patrem spirituales. Scriptum

est, Prov. I. *Audiens sapiens sapientior erit*. Si enim viator quærit crebro de itinere, ne aberret, non quæramus nos de via cæli? *State super vias vestras*, (ait Jeremias, c. VI.) *et videte et interrogate, quæ sit via bona*. Quarto: *Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo*, inquit S. Jacobus, c. I. Postulavit eam a Deo Salomon, et quia placuit Deo hæc illius petitio, obtinuit eminentissimam, III. Reg. III. S. theologorum princeps Thomas Aquinas nunquam se lectioni aut scriptioni dabat, non præmissa oratione; palam etiam professus est se doctrinam suam magis debere orationi quam studio.

II. Proficiendum ætate, id est, morum gravitate et maturitate. Decet enim ut Christianus exuat puerum cum pueritia, et induat virum cum virili ætate, id est, gravem et honestam ac seriam conversandirationem; ac quemadmodum puer in virum crescens, capite a terra recedit et cælo fit vicinior, sic decet Christianum relictis inferioribus superna et solida bona amare. Ita enim jubet apostolus, ad Eph. IV. *crescere nos in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, ut jam non simus parvuli, etc.* adeoque deponamus mendacia, iracundiam, furta, sermones malos, indignationem, clamorem, blasphemiam, turpitudinem, stultiloquium, scurrilitatem, ut in sequentibus docet. Puerorum est nugas sectari easque magni æstimare,

*Ædificare casas, plaustrum adjungere mures: Ludere par impar, equitare in arundine longa.*

Puerorum est levi de causa ridere et flere, facile irasci, facile mutari, vana et futilla loqui, tempus male terere, pronum esse ad mentendum, modum non servare, et similia, quæ in adulto fœdiora sunt, quam si parvulorum instar equitaret in arundine. Unde idem apost. I. Cor. XIV. ait: *Fratres, nolite pueri effici sensibus; (Græce, mente seu judicio) et capite præcedente in exemplum se hujus professus proponit, dicens: Cum essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus; quando autem factus sum vir, evacuavi quæ erant parvuli.*

Sed qua arte in virum perfectum crescemus? S. Carolus Borromæus tria documenta tradit (ut est in ejus vita) quæ huic rei inservire possunt: « Si vis, inquit, proficere in vita christiana, et perfici in doctrina, virtute et spiritu Christi, hæc tria observa. Primum, quotidie incipere et inchoare te existima, ut scilicet eo fervore quotidie servias Deo, ac si eo die primum ei servire inciperes. » Fuit hoc documentum etiam Psalmistæ se quotidie adhortantis et dicentis: *Nunc cæpi*, Ps. LXXVI. Dic ergo tibi ipsi: *Hactenus semper*